

habere locum interpretationem doctrinalem, ut sic dicam, non vero interpretationem per modum epiikiae, quam solam in conclusione negavimus. Cum enim praecepta haec sint affirmativa sine ulla temporis determinatione, nulla excusatio, ex accidentalibus circumstantiis vel occasionibus proveniens, est contra formam verborum praecepti, neque est exceptio a generalitate illius, et ita non est epiikia, neque emendatio legis, sed potius est interpretatio de vero sensu legis, quam voco doctrinalem, quae in praeceptis etiam naturalibus affirmativis locum habet. Et talis fere est in praesenti, quia quando praeceptum divinum absolute praecipit et non determinat tempus, neque per legem humanam determinatur, tunc relinquitur naturali rationi et discursui, ut, pensatis omnibus circumstantiis, discernat an hic et nunc urgeat talis obligatio, et hoc iudicium vocamus doctrinalem, vel prudentialem interpretationem, quam authentice quidem possunt facere soli Pastores Ecclesiae, privatim vero etiam viri sapientes.

14. *Lex Christi quo sensu indispensabilis ab homine.*—Dico secundo: lex Christi ut instituens, seu institutio ecclesiastica facta immediate ab ipso Christo, et jure suo stabilita, non recipit dispensationem per ullam potestatem humanam. Haec est communis theologorum, tum in locis citatis, tum in locis specialibus, ubi tractant de materiis et formis sacramentorum, et de hierarchia ac monarchia ecclesiastica; et mihi videtur non minus certa quam praecedens, potestque simili modo probari. Primo, inductione in institutione sacramentorum. Solum enim sunt a Christo instituta quoad substantialem formam, et materiam, et ministrum necessarium; his enim tribus perficiuntur, ut dixit Concilium Florentinum in Decreto Eugenii, et quoad illa omnia sunt a Christo instituta, juxta definitionem Conc. Trident., sess. 7, c. 4 de Sacrament. in genere. Hanc autem institutionem nullus homo immutare potest juxta sententiam omnium theologorum. Et congruentia supra adducta est moraliter evidens, quia haec sunt quasi fundamenta Ecclesiae visibilis Christi, quibus mutatis fieret in ea magna substantialis mutatio contra manifestam intentionem instituentis. Deinde est optima ratio quodammodo physica, quia Christus, media institutione sua, dedit virtutem his sacramentis ad sanctificandum vel consecrandum; ergo nisi sint facta juxta hanc institutionem, non erunt instrumenta Christi, nec

continebunt gratiam, nec virtutem efficiendi illam. Quia tunc nec Christus dat illam, quia lex et promissio ejus est determinata ad suam institutionem, neque homo purus potest talem virtutem dare, ut per se constat; ergo nec potest dispensare in tali institutione. Nam oporteret per talem dispensationem fieri ut aliquod opus vel dictum, praeter institutionem Christi, haberet significationem et vim sanctificandi quam habet sacramentum Christi, quod est manifeste impossibile, ut probatum est. Quocirca dictum illud canonistarum quorundam posse Pontificem solo verbo facere Presbyterum, vel consecrare Episcopum, item illud, posse dispensare in omnibus praeter articulos fidei, apud theologos improbabilia sunt, quia Papa non habet potestatem excellentiae, sed alligatam sacramentis, quoad effectus eorum, et ad dictam institutionem quoad eorum essentiam: de duabus vero instantiis quae in contrarium afferebantur, infra dicemus.

15. *Ostenditur conclusio.*—Primo.—Secundo.—Deinde ostenditur conclusio in institutione reipublicae ecclesiasticae, quatenus peculiarem unitatem mysticam habet ex institutione Christi, quae institutio in tribus vel quatuor conditionibus videtur consistere. Primo, quod ejus congregatio sit universalis ex universis mundi hominibus, quantum est ex se. Secundo, quod ingressus ad illam sit per fidem explicitam Trinitatis in Baptismo professam. Tertio, ut in ea congregentur omnes sub uno capite Christi vicario, et sub talibus signis sensibilibus sacrificii et sacramentorum. Quarto, quod intra illam sit ordo hierarchicus, tam secundum potestatem ordinis quam secundum potestatem spiritualis jurisdictionis. Sed in tota hac institutione nihil est quod per dispensationem possit mutari, quatenus ad jus divinum spectat, ut unicuique per se facile patebit discurrendo per singula. Scio graves doctores dicere jurisdictionem sacerdotum in foro poenitentiae, et Episcoporum in foro externo Ecclesiae, esse de jure divino, et nihilominus posse per Pontificem restringi vel ampliari, interdum per jus ordinarium, et aliquando per modum dispensationis, seu privilegii. Verumtamen sententia parum nobis obstat, quia non credimus esse veram, neque consequenter loqui. Secundum illam autem dicendum esset hoc jus divinum ita esse specialiter institutum, propter necessariam subordinationem inferiorum cum suo capite, et propter convenientem usum inferioris ju-

risdictionis. Quanquam haec ratio potius probat jurisdictionem non fuisse jure divino inferioribus collatam, sed hoc fuisse commissum summo Vicario tanquam fideli dispensatori. Posset etiam dici, secundum illam sententiam, jurisdictionem illam quae datur jure divino esse tantum in habitu, et hanc non limitari nec auferri in se, sed tantum in usu, quatenus ei materia applicatur vel subtrahitur, quod non est factum per divinum jus, sed homini est commissum. Sed revera illa quae vocatur jurisdictio in habitu, non est aliud quam potestas ordinis vel consecrationis, et jurisdictio propria in actuali superioritate consistit, quae confertur cum applicatur materia quoad personas subditorum, et ita illa est collatio jurisdictionis, quae immediate per hominem fit, non per divinum jus. Itaque soli summo Pontifici datur jurisdictio immediata ex vi juris divini, et ideo nec auferri nec diminui potest per hominem; respectu vero aliorum, jus divinum solum in generali statuit ut in Ecclesia sint Pastores qui vocentur a Pontifice in partem sollicitudinis, imperitendo illis jurisdictionem uniuscujusque muneris convenientem. Particularis autem jurisdictionum distributio vel institutio non potuit convenienter immediate fieri per jus divinum, sed per hominem debuit fieri, ideoque tota varietas quae in hoc genere reperitur in Ecclesia, vel non est dispensatio propria in aliquo jure, sed est administratio quaedam spiritualium bonorum, quae lato modo vocatur dispensatio mysteriorum Dei; vel si aliqua sunt in hoc genere propria privilegia, continent dispensationes proprias in jure ordinario ecclesiastico, non in jure divino.

16. *Hinc infertur primo.*—Ratio.—Ex quo ulterius colligo nec propriam interpretationem per modum epiikiae habere locum in hac institutione quoad ea quae revera sunt de jure divino, id est, non solum non posse dispensare Papam ut in sacrificio consecraretur sanguis in alio liquore praeter vinum, verum etiam nec posse interpretari aliam materiam sufficere in quocumque casu necessitatis, et sic de aliis. Ratio est, quia in his quae essentialiter pendent ex institutione quoad significationem, vel quoad efficaciam, seu collationem alicujus virtutis vel potestatis, non habet locum ampliatio vel restrictio per epiikiam. Quia institutio debet esse omnino definita, et quasi in indivisibili consistens, quia in illo ordine constituit essentiam rei institutae, et ideo non potest ampliari vel restringi ultra vel citra verba insti-

tutionis. Et explicari potest ratione supra insinuata, quia voluntas instituentis de facto limitatur ad verba institutionis, ita ut extra illa nulla sit facta institutio: ergo illa interpretatio non habet fundamentum in voluntate instituentis; ergo nullo modo potest locum habere. Solum ergo admitti potest interpretatio doctrinalis ad discernendum quid sub institutione comprehendatur, quae independens est ab extrinseca necessitate vel occasione: interpretatio autem addens vel minuens institutionem per epiikiam propter accidentales casus esset potius corruptio, et infinita haberet incommoda.

17. *Infertur secundo.*—Secundo, infero etiam circa praecepta, ex natura rei inclusa in institutione, non habere locum dispensationem vel propriam interpretationem. Hoc probari potest ratione supra facta, quia haec praecepta sunt juris naturalis, supposita institutione; in jure autem naturali non cadit dispensatio neque epiikia propria. Declaratur exemplo, quia ex institutione sacramentorum nascitur obligatio accedendi ad illa cum debita dispositione, ut sancta sancte tractentur. In hac ergo obligatione non cadit dispensatio, nec interpretatio minuens illam naturalem legem. Nam licet possit Ecclesia interpretari an talis vel talis dispositio sufficiat, non tamen potest interpretari quod pro aliquo casu vel necessitate sufficiat illa dispositio, quae non satis sit ut sancta sancte tractentur. Atque eadem est ratio de similibus praeceptis. Et potest hoc confirmari: nam haec praecepta ordinarie sunt affirmativa, quia, ut supra cum Victor. dicebamus, in lege nova non sunt specialia praecepta negativa; in praeceptis autem affirmativis, praesertim naturalibus, solum habet locum interpretatio circa tempus pro quo obligant vel non obligant, cum his vel illis circumstantiis, in qua interpretatione epiikia non intervenit, ut declaravi. Possumusque hoc exemplo exponere; nam sacramento Eucharistiae adjunctum est praeceptum praemittendi confessionem ante communionem, sive illud sit juris divini naturalis vel positivi, sive humani, de quo recte interpretamur non obligare non existente copia confessorum, quae non est epiikia, sed conditio ex natura rei intrinsece inclusa in tali praecepto affirmativo, quam propterea ad tollenda dubia expresse adhibuit Concilium Tridentinum, sessione 13, canone ultimo.

18. *Objectio.*—*Responsio.*—Dices in lege nova etiam esse aliqua praecepta negativa quae

interdum requirunt interpretationem, ut non dandi sacramentum indignis, non accedendi ad sacramentum in peccato mortali, et si quæ sunt similia. Respondeo in hac lege, ut supra dixi, non esse præcepta negativa, utique pura, et per se primo ac directe imposita per positivam prohibitionem; esse tamen aliqua præcepta negativa consequentia ad alia affirmativa, vel intime conjuncta positivæ et, ut sic dicam, affirmativæ institutioni alicujus sacramenti, vel sacrificii, vel alicujus muneris, et tunc negativum præceptum per affirmativum, in quo fundatur, regulandum est. Et hinc est ut talia præcepta negativa interdum sint de re adeo intrinsece mala, ut nullam recipiant dispensationem nec episkiam. Talisque est prohibitio facta confessori, ne secretum confessionis revelet. Nam in hoc præcepto nulla cadit interpretatio, sive intelligatur ut specialiter adjunctum ex voluntate Christi tali sacramento, sive (quod probabilissimum est) tanquam intrinsece consequens ex tali institutione et necessitate confessionis, ut late dixi in 4 tom. 3 partis, disp. 33, sect. 1. Et hoc exemplum valde confirmat doctrinam datam; nam si admittatur dispensatio vel interpretatio episkie in præceptis evangelicis, non esset difficile illam extendere ad hoc præceptum, quia etiam possunt occurrere gravissimæ causæ et occasiones pertinentes ad commune bonum; in hoc autem admitti non potest, ut est certum; ergo neque in aliis simpliciter latis admittenda est. Sicut etiam ex institutione sacramenti sequitur obligatio non ponendi obicem sacramentali gratiæ, quæ adeo est intrinsece necessaria, ut oppositum nunquam possit esse licitum per ullam dispensationem vel interpretationem.

19. *Quando locum habet aliqua interpretatio.* — Aliquando vero præceptum affirmativum conjunctum alicui institutioni, seu consequens illam, tale esse potest ut negativum præceptum in illo fundatum non sit omnino absolutum et universale, tanquam de re intrinsece mala, et tunc quamvis habere possit locum aliqua interpretatio, non tamen propria episkia, sed doctrinalis et orta ex præcepto affirmativo, in quo illud negativum fundatur. Exemplum adhiberi potest in præcepto non communicandi cum conscientia peccati mortalis, sine prævia confessione, quia directe affirmativum est juxta superius dicta; vel melius in præcepto non dandi Eucharistiam indigno, aut furioso, quod revera fundatur in affirmativo præcepto reverenter trac-

tandi tale sacramentum. Unde si hoc affirmativum servetur in aliquo casu sine illa negatione, tunc non obligabit præceptum negativum, quia solum obligat quatenus necessarium est ad servandum affirmativum præceptum, et ita illa interpretatio directe est in præcepto affirmativo, quæ non est per episkiam, ut declaravi: et aliud exemplum subjiciemus solvendo argumenta.

20. *Respondetur ad tria argumenta.* — Primum ergo argumentum contrariæ sententiæ sumptum ex verbis Christi: *Quodcumque ligaveris, etc.*, solutum jam est explicando dicta verba, et ostendendo sub illa generalitate non comprehendi dispensationem in legibus ipsiusmet Christi, nec illam extensionem esse traditioni Ecclesiæ conformem, nec rationi consentaneam, cum sit contraria stabilitati ejusdem legis Christi. Neque exempla quæ afferuntur in secundo argumento, de juramenti, votis et matrimonio rato, sunt similia, quia, cum illa dispensantur, non relaxatur aliqua lex divina, sed materia ejus subtrahitur, ut in libro 2 attigimus, et latius in tom. 2 de Religion. Et idem dicendum est de dissolutione vinculi inter Episcopum et Ecclesiam: nam etiam ibi supponitur vinculum humana voluntate contractum, et ex ea parte dissolvi potest per voluntatem superiorum, quamvis ad hoc etiam necessaria sit potestas divina, id est, a Deo concessa. Exemplum autem de matrimonio consummato non admittimus, quia jam habet, ex divino jure naturali vel positivo, majorem firmitatem quam humani contractus. Vinculum autem solemnissimum professionis religiosæ non habet a jure divino, sed tantum ab ecclesiastico, specialem firmitatem. Tertium item argumentum ex ratione sumptum facile ex dictis solvitur; nam præcepta positiva legis gratiæ sunt paucissima, et per se et directe non sunt negativa, sed affirmativa, quæ ex eodem jure divino positivo non habent certi temporis determinationem, et ideo, ad occurrendum casibus occurrentibus, quantum pro explicanda obligatione necessarium est, sufficit interpretatio doctrinalis, quæ in Ecclesia pertinet ad clavem scientiæ, et non nocet legi, nec relaxat illam. Quod vero spectat ad institutionem vel necessitatem medii, non oportuit admittere dispensationem vel exceptionem propter vitanda incommoda privata, quia non poterat hoc fieri sine majori incommodo boni communis: et est contra naturam et firmitatem institutionis, quæ posset illa occasione multum alterari et perverti.

21. *Ad quartum responsio.* — Ad primum autem exemplum, quod in quarto argumento contra hoc afferebatur de ministro Confirmationis, dicendum est illam non esse dispensationem in institutione divina, sed potius vel ipsam institutionem divinam ita factam esse, vel (quod in idem fere redit) ibi esse factam specialem commissionem Pontifici amplificandi ministerium illud. Et consequenter dicendum est hoc traditione constare, et insinuari a Conciliis, dicentibus Episcopum esse ministrum non absolute, sed ordinarium, ut latius dixi in 3 tom. 3 part., disp. 36, sect. 2. Et idem cum proportionem dicendum est in ministro sacramenti ordinis quoad aliquos gradus ejus.

22. *Secundum exemplum.* — Secundum exemplum erat de dispensatione in consecrando pane sine calice; in quo probabilius dico non esse admittendam talem dispensationem, neque esse posse Ecclesiæ convenientem, moraliter loquendo, ut in loco ibi citato latius dixi, et ad historiam de Innocentio respondi, et idem de episkia dixi. Quod si illa exceptio admittenda esset, ut est etiam probabile, declaranda esset per modum interpretationis doctrinalis, non per modum dispensationis aut exceptionis in lege divina. Illa vero interpretatio in hunc modum declarari potest; quia illud præceptum sacrificandi sub duabus speciebus per se affirmativum est, et intrinsece connexum cum institutione talis sacrificii: unde prohibitio conficiendi unam speciem sine altera non est ex speciali præcepto negativo juris divini positivi, sed pertinet ad jus naturale, supposita institutione, sequiturque, mediante hoc generali principio, quod Deo est integrum et perfectum sacrificium offerendum. Hoc autem principium affirmativum est, et ideo ex se non obligat pro semper, patique potest interpretationem, scilicet, ut servetur quantum occasio tulerit, et fieri potuerit, et ideo si applicatur illud principium ad hoc sacrificium, videtur habere locum interpretatio, quod in casu impotentiae cesset illud principium, et consequenter etiam cesset illa prohibitio seu negativa obligatio, utique non sacrificandi potius quam in una tantum specie consecrandi. Quia ibi non amittitur institutio essentialis, sed integralis, et ideo valida est consecratio unius speciei, etiamsi alia omittatur, et videri potest gratius Deo et hominibus utilius sic conficere quam nullo modo; et quamvis ex hoc discursu, si admittatur, videatur sequi talem interpreta-

tionem non solum esse licitam auctoritate Pontificis, sed vel inferiorum, vel per solam doctrinam, nihilominus tamen, quia res est gravissima et valde dubia, et contra universalem Ecclesiæ morem, permittenda non est sine decreto Pontificis; hoc autem modo admessa juxta probabilem sententiam, et dicto etiam modo declarata, nihil obstat superiori doctrinæ. Tertium exemplum de residentia Episcoporum pertinet ad interpretationem juris naturalis, et de illo superius libro secundo sufficienter dictum est.

CAPUT VII.

UTRUM LEX GRATIÆ SIT PERPETUA ET INVARIABLES.

1. *De perpetuitate legis novæ.* — *Non esse duraturam hanc legem perpetuo simpliciter.* — Tribus modis, quantum ad præsens spectat, potest lex aliqua variari, scilicet, per abrogationem, diminutionem, vel per augmentum; et de his breviter dicendum est, incipiendo ab abrogatione, quoniam ex illa facile cætera constabunt; et inde etiam explicabitur perpetuitas hujus legis, quæ solum inquiritur juxta subjectam materiam. Certum est enim hanc legem non esse duraturam perpetuo simpliciter, id est, in æternum, loquendo formaliter et in seipsa, quia solum est data pro hominibus viatoribus in Ecclesia militante: Ecclesia autem militans non durabit in æternum, sed finem habebit in die judicii, et postea nulli erunt viatores; ergo nec lex ista amplius durare poterit, quia, destructa republica et deficiente ejus statu, cessat etiam lex. Dixi autem formaliter et in seipsa, quia in effectu seu gratia in æternum durabit, ut infra declarabo. Hic ergo agimus de propria lege præceptiva, et de perpetuitate usque ad finem mundi, et de abrogatione illi contraria. Hic autem intelligitur quæstio aliter quam in præcedenti capite, scilicet, in ordine ad Deum, et non in ordine ad homines; nam de hominibus certum est nullam variationem ex dictis posse in hac lege facere. Non enim possunt illam augere, quia præceptum divinum ferre non possunt, per humana autem præcepta non augetur lex divina; nec etiam possunt illam minuere, cum non possint in illa dispensare, quod minus est quam partem ejus omnino tollere, unde licet de dispensatione fuerint opiniones, de diminutione nullæ sunt: et a fortiori, si homines diminuere non possunt hanc legem, multo